

1. Cor. 15 cere: Antequam ueniret homo de cœlo, & nasce-
retur homo cœlestis, eramus omnes terreni, & por-
tabamus imaginē terreni: sed ubi uenit homo
Ephef. 4 nouus, qui secundum deum creatus est, erimus
à conspectu eius uetera: deponentes nos ueterem
hominem, & induentes nouum, qui secundum
2. Cor. 4 interiorem hominem renouatur de die in diem,
Et ponam tabernaculum meum in uobis. Si
hac habemus in nobis, quæ supra dicta sunt, si ab
iecto uetere homine, renouatum est cor nostrū,
uenit ad nos deus, & habitat in nobis, qui dixit:
Et ponam tabernaculum meum in uobis, & non
uos abominabitur anima mea. Non nos abomi-
nabitur anima dei, si obseruamus ea quæ scripta
sunt. Veruntamen uelim requirere, quid est ani-
ma dei: nunquid nam putamus, quia deus habet
animam sicut homo? Absurdum est hoc sentire
1. Cor. 1 de deo. Ego autem audeo, & dico, quia anima
dei Christus est. Sicut enim uerbum dei est Chri-
stus, & sapientia dei: ita & anima dei est. Et hoc
modo dicit, quia non uos abominabitur anima

mea, id est, filius meus: sed ambulabo inter uos.
Non mihi uidetur quod hoc promittat deus, quia
in terra ludæorū ambulaturus sit, sed quia si qua
se dicit ambulare deus. Et uos eritis mihi popu-
lus, & ego dominus deus uester, qui eduxi uos de
terra Aegypti, quum essetis serui, & contriui uos de
gum uinculi uestri. Verè eduxit nos de domo ser-
uitutis: serui enim eramus peccati. Quia omnis
qui peccat, seruus est peccati, & contriuit iugum
uinculi nostri, quod imposuerat super ceruices no-
stras ille qui nos in captiuitatem duxerat, & pecca-
torum uinculis colligauerat. Contriuit ergo pec-
cati uincula, & iugum nostræ captiuitatis excussit.
dominus noster Iesus Christus: & suum nobis sua
ue iugum fidei, & charitatis & spei, ac totius san-
ctitatis imposuit. Ipsi gloria in æterna secula secu-
lorum, Amen.

DECIMI ET VLTIMI LIBRI,
CYRILLI IN LEVITI-
CVM, FINIS.

SECUNDVS TOMVS HABET
DIVI CYRILLI ARCHI-
EPISCOPI ALEXANDRINI

Opus insigne quod THESAVRVS inscribitur, de consubstantialitate filij &
spiritus sancti cum deo patre, aduersus hæreticos.

Dialogorum cum Hermia de Trinitate libri septem, cum appendice argumen-
torum, quod spiritus sanctus est Deus.

Quod consubstantialis & coæternus sit Deo, & patri filius, Lib. I.
Quod coæternus deo & patri, & ex ipso secundū naturā genitus, sit filius, Lib. II.
Quod Deus uerus sit filius, sicut & pater, Lib. III.
Quod non creatura neque factura sit filius, Lib. IIII.
Quod deitatis proprietates ac gloria naturaliter in filio sint, sicut & in patre, Lib. V.
Quod humanitatis proprietates, & quæ non ualde diuinè dicta de filio conue-
niant magis dispensationi cum carne, et non nature uerbi, secundum quod
intelligitur, & est Deus, Lib. VI.
De spiritu sancto, quod & Deus, & ex Deo sit, secundum naturam, Lib. VII.

De adoratione & cultu in spiritu & ueritate, Liber unus.



B A S I L E A E